

QVÆSTIO XXIII.

Quare filius senior tantum indignatur de adventu iunioris, cum de eo deberet maximè exultare?

175. Bostrenf.

AD præpositam quæstionem respondet primò Titus Bostrenf. Quid nobis, ait, parabola vult adumbrare? Aliud nihil, quam excellentem Dei clementiam, qua utique erga omnes, & eos præferim, qui peccatis desertis ad sanam mentem redeunt, veròq; penitentiam sensu concipiunt, invidiam quocummodo mouere possit. Tam larga donorum manu Deus peccatorem conuersum accumulatur, vt per exaggerationem videatur, quod invidiam quocummodo mouere possit. Idem docent Euthymius, Theophylactus, D. Chrysolomus homil. 56. in Matth. & postea subdit: Insignatur, ait, peccatores videlicet, si spem non abijciant, sed conuertantur, magnis præmijs afficiendos esse.

176. Ambros.

Secundò, D. Ambrosius in Catena D. Thomæ: Adolescentiori filio, id est populo ex gentibus, Israel tanquam maior frater, beneficium paterna benedictionis inuidit: quod faciebant Iudæi, quia Christus cum gentibus epularetur. Frater iste senior Iudæos significabat, qui rabidissima exardebant inuidia in Christianos, ac gentes in Dei ouile receptas, cum videant illas diuinis donis abundare, à quibus ipsi ob sua peccata sunt exclusi. Audiant Iudæi voces Prophetarum, & populorum consensus, & tamen inuidia correpti nolunt in domum patris sui intrare, sed foris remanere. D. Chrysologus serm. 5. Venit Iudæus, ait, ad domum patris, id est ad Ecclesiam: stat foris per inuidiam. Audiam Davidicam citharam personare: audit ex consensu prophetico symphoniam: ex populorum vario concentu choros audit: & introire non vult, per inuidiam stans foris.

177. Chrysol.

Inuidia, ac ambitio abrumpt sanguinitatis ius.

Tertiò, Idem D. Chrysologus serm. 4. Indignatur, ait, damnatum, frater cedit, qui redisse conspicit coheredem. Auaritia, ac ambitio omne sanguinitatis ius abrumpt, & qui debebat gaudere de reditu fratris, maximè dolet, cum cogitat paternam hæreditatem in partes diuidi, & à bonis, quæ sibi soli sperabat, timet defraudari.

178. Genes. 25. Symanch.

Antequam Iacob, & Esau in lucem ederentur, pugnant inter se vtero matris suæ. Collidebant in vtero paruuli, Genes. 25. num. 25. Symanchus legit: Collidebant. Infantes, fratres, ac simul existentes in vtero matris erant, & tamen inter eos erat concertatio, & lucta; sine dubio de primatu nascendi pugna erat, ob primogenituram in hæreditate paterna, lites, ac morsus de hæreditate adeunda prius in eis maturarunt, ac ipsi communi lucis, ac æris vsu fruenterentur; fratres erant, & in tenebroso vteris carcere existentes, & priusquam se mutuo viderent; & agnoscerent, quilibet tamen magnò oculorum acumine primogenituram respiciebat, vt ipsam obtinetet, & alterum ab ea excluderet. D. Chrysologus cit. serm. Hereditas mundana, ait, ante posteros infert pugnam, quam sensum conferat: antequam diuidat facultates, scindit hæredes.

179. Caar. 1. n. 5.

Maximè conuenitur sponsa de fraterna inuidia dicens: Filij matris mee pugnaverunt contra me, posuerunt me custodem in vineis. Dicit se im-

pugnatam à fratribus, sed vnde huiusmodi concertatio, ac morsus hominum aduersus eam sunt nati? Posuerunt me custodem in vineis. Non enim sustinuerunt fratres sororem suam tam bona fortuna frui, vt prælationis munus obtineret in domo patris sui, ac in bonis paternis, & inde ipsi maximè tristantur, ac contra eam insurgunt, cum potius de hoc esset gaudendum, cum tantum prælationis fastigium sorori suæ esset delatum, cuius onera ipsa perfectissimè impleuerat, vt de proprio commodo oblita vineam suam non custodiret, de quo maximè ipsa dolet, cum se videat impugnati non extranea, sed fraterna manu. D. Bernard. serm. 29. in Cantic. Profecto, ait, id expressius plangit, quod & sentit differentius, & quod vigilantius nobis cauendum existimat. Quid est hoc? Malum utique intestinum, & domesticum.

Frates sororis prælationem impugnant.

Bernard.

Luc. 1. n. 29. At ille respondens, dixit patri suo: Ecce tot annis seruius tibi, & nunquam mandatum tuum præteritui, & nunquam dedisti mihi hædum, vt cum amicis meis epularer.

num. 30. Sed postquam filius tuus hic, qui deuorauit substantiam suam cum meretricibus, venit, occidisti illi vitulum saginatum.

VERSIONES.

Syriacus n. 29. Is verò dixit patri suo: Ecce, tot annis seruius tibi seruitutem; nec vnquam transgressus sum mandatum tuum, nunquam dedisti mihi hædum, vt oblectarer cum amicis meis.

Origenes. Ego semper tecum fui. Arabicus. Ecce quot annis seruius tibi, & nunquam dedisti mihi vnum hædum.

Syriacus n. 30. Huic autem filio tuo, quum profuderit possessionem tuam cum meretricibus, & venit, mactasti ei bouem illum saginatum.

Origenes. Postquam hic iunior, qui lapidauit omnem substantiam suam.

Vatablus. Qui deuorauit facultates tuas cum meretricibus.

Arias. Qui deuorauit suam vitam cum meretricibus.

EXPOSITIO VI.

ANTA patris benignitate inuidus filius non mitescit, sed obstinatus in sua duritie persistit. Ecce tot annis seruius tibi. Syriacus habet: Seruius tibi seruitutem. Emphaticum habet, hoc est, præsto tibi multam seruitutem in

180. Syriac.

in negotiis familiae tuæ. More hypocritarum sua merita arroganter commemorat; nunquam mandatum tuum præteritui. Quid prodest ò homo seruare mandata, si inuidia cotroderis? quid prodest lucrari merito, si totum sutripit inuidia? vna manu ædificatur, & altera totum destruit. De quo cap. 30. Et cum ait: Nunquam mandatum tuum præteritui. Suo facto se mendacem ostendit. In hoc enim patris mandatum negligit, quod fratris inuidet saluti, qua de causa noluit domum intrare. Chrysologus serm. 2. expendit id, quod ait: Nunquam mandatum tuum præteritui. Hoc tibi non tua innocentia, sed patris venia dedit, qui multa charitate delicta filij maluit tegere, quam nudare. Id quod ait iste senior filius, quod patris mandata semper obseruauerit, non erat verum, si filij acta, & occultata pensarentur; tamen patris benignitas sic filij crimina dissimulabat, & occultabat, vt minimè apparent, multa charitate delicta filij maluit tegere, quam nudare. Tantusque erat pater in filij criminibus tegendis, vt nullo modo videretur. Nunquam dedisti mihi hædum. Tantum abest, vt mihi vitulum saginatum concederes, quod nunquam hædum de capris mihi dedisti.

Chrysolog.

Patris est dissimulare filij crimina.

181. Hieron.

Verum gaudium solum cum Deo.

Pater ad omnem familiam extendat sua bona.

182.

Chrysol.

Senior non videt fratris penitentiam, sed crimina.

Chrysol.

stius: viuendo luxuriosè; nunc verò vt magis infamet, exagerat cum meretricibus.

Fratri exaggerat crimen.

QVÆSTIO XXIV.

Quare filius senior non desiderat agnum, vel vitulum, sed hædum.

IN parabola arguit filius senior parentem, quod filio prodigo, ac substantiæ dissipatori dederit vitulum saginatum, sibi verò hædum non dederit. In quo symbolicè denotantur Pharisæi Deum, ac Christum Dominum accusantes, quod Gentiles, & peccatores Iudæis, & Pharisæis præferat; falso tamen hanc calumniam construunt; nam Gentiles, & peccatores per fidem in Christum, ac veram penitentiam facti sunt digni Euangelio, ac Christi gratia. Pharisæi verò per obstinatam infidelitatem, superbiam, & inuidiam diuinis donis se reddiderunt indignos.

183.

Gentiles Iudæis præferuntur.

184. Hieron.

Ad quæstionem propositam. Valde symbolicè Patres hanc querimoniam filij senioris explicant. Et primò D. Hieronymus epist. 146. quasi dicat filius senior nomine Israelis: Nunquam dedisti mihi hædum. Aliquam inferiorem victimam, aliquem, v. g. prophetam, seu sacerdotem, cuius sanguis nos liberaret à iugo, ac imperio Romanorum; & tamen pro filio iuniori, ac luxurioso, id pro gentibus, ac peccatoribus gloriosa victima, ac pretiosus sanguis effusus est, cuius fructu gentiles, ac peccatores tanquam cælesti pabulo fruuntur, illo insigniter reficiuntur.

Secundò, D. August. lib. 2. quæst. Euang. q. 33. Beda, Hugo, D. Bonauent. & alij. Ac si dicat Israel: O pater nunquam mihi dedisti in refectionem carnem filij tui, qui mihi hædus, id est peccator, Sabbathi violator, ac legis prophanator videbatur, nunquam mihi dedisti ad epulandum, eo ipso mihi illum non concedens, quo mihi hædus falso videbatur. Tertio, Theophylactus, per hædum intelligit persecutorem, ac aduersarium Israelis, ac si dicat, ait ipse: nunquam mactasti, seu occidisti mihi hædum, id est humiliasti peccatorem, & inimicum meum, vt inuenirem aliquam requiem.

185. August. B. da. Bouauent. Hugo.

Theophyl.

Quartò, D. Paschasius lib. de Eucharist. cap. 22. Ille senior filius, ait, de agro reuersus, sed male contra dulcissimum patrem inuidia pernotus, obiurgans ait, Tot annis seruius tibi, & nunquam dedisti mihi hædum saltem. Et quam iuste, quia profecto cæcatus mente, noluit intrare intra, nec corde repenitere. Idcirco prorsus ex omnibus bonis paternis, nec hædum meruit acquirere, dum vitulus repenienti filio iuniori tenerrimus immolatur. Iuniori filio in mensa patris datur vitulus, seniori verò nec hædus. Nam filius iunior cum esset penitens, & contritus in sacra mensa Eucharistiæ amplum, & pinguem fructum tanquam ex vitulo saginato gustauit. At verò senior filius cum esset corde impenitente, & obstinato animo, vt nollet intrare in domum patris, nec minimum quid tanquam ex paruo hædo percepit: Iunior cum esset penitens diuino epulo impinguatus est, senior verò cum penitentia esset expertus, expertus etiam diuini epuli factus, & totus icuius remansit.

186. Paschal.

Iuxta dispositionem gustatur fructus Eucharistiæ.

Quintò, D. Petrus Chrysologus serm. 4. Fratri, ait, inuidus animus gratus esse non potest patri: & paterna largitatis memor non est, qui est frater sine immemor charitatis. Hædum sibi datum negat, qui

187. Chrysolog.

Inuidus in-
gratus, & nil
se accepisse
cogitat.

188.
Ambros.

Vbi inuidia
ibi nullū bo-
nū, sed omne
malū regnat.

189.

Chrysol.

Inuidia re-
probatorum vi-
tium.

190.

Isai. 59.
Theodor.
Cyrill.
Procopius.

Inuidia in-
fert mortem
animæ.

substantia partem totam tempore diuisionis accepit. Pater ambobus filiis totam diuisit substantiam, ac proinde huic seniori amplum dedit patrimonium, quomodo ait se nec hædum accepisse? Multa inuidia laborabat ille, inuidus autem semper ingratus, ac immemor beneficiorum, cum præ ambitione sua nihil se accepisse arbitretur. *Fratri inuidus animus grauis esse non potest patri.*

Sexto. D. Ambrosius ad hunc locum: *Notatur, ait, hic frater vsque adeo, vt de villa venire dicatur, hoc est terrenis operibus occupatus, ignorans quæ sunt spiritus Dei, vt denique nunquam pro se vel hædum queratur occisum. Non enim pro inuidia; sed pro venia mundi agnus occisus est. Inuidus hædum querit: innocens pro se agnum desiderat immolari. Non agnum, non vitulum, sed valde notanter hædum desiderat miser homo. Totus tabescebat ille inuidia, qua de causa nolebat introire; inuidia autem ignorat agnos, ac oues, ignoratque opera dextera, & tota ad hædos, ac ad finistram fertur; vbi enim inuidia regnat, nil dextrum, ac bonum est: sed totum finistrum, ac deprauarum, maledictioneque dignum, quo homo in præcipitium, ac interitum ruit. Vnde à sancto Doctore dicitur: *Non enim pro inuidia, sed pro venia mundi agnus occisus est.* Ita maledicta, ac finisita est inuidia, vt à Christi meritis, ac Passione exors videatur. Et de Iudæis in hoc filio seniore adumbrato subdit sanctus Pater. Iudæus hædum requirit, Christianus agnum, idè illis Barrabas soluitur, nobis agnus immolatur. Vnde apud illos factor est criminum, apud nos remissio peccatorum, dulcis in spe, suavis in fructu.*

Lethale vulnus est inuidiæ, vt qui eo percussi sunt quasi deploratam habeant salutem. David adulter, Magdalena peccatrix, & latro multorum criminum reus, in cruce tamen pendens veniam promeruerunt; Cain, Esau, Saul inuidi miserimè damnantur. Quod notans D. Chrysolomus homil. 4. ad populum, sic ait: *Sine miserearis, sine vigiles, omnium es sceleratissimus, cum inuideas fratri, & hoc illinc est manifestum. Quidam olim apud Corinthios fornicatus est, sed accusatus fuit, & breui correctus. Abeli Cain inuidit, sed sanatus non est: qui & Deo statim ipsius vlceri curam, afferente magis intumescere, & fluctuabatur, & ad eadem properabat. Ita hoc vitium illo peius est, nec medicina, quamcumque adhibuerimus, facile cedit.*

De iniquis ait Isaias 59. num. 4. *Conceperunt laborem, & pepererunt iniquitatem.* Vbi nostra vulgata habet, *laborem.* Theodorus habet, *eadem,* quam D. Cyrillus & Procopius inuidiam, interpretantur. Idem est inuidia, ac mors? Maxime sanè, vbi regnat inuidia, ibi & mors suum habet principatum. D. Bernardus epistol. 7. *Ar. nescitis, ait, quia inuidia Diaboli mors intravit in orbem terrarum? Attende itaque tibi. Si vbi inuidia ibi mors, non potes simul inuidere, & viuere.* Inuidiæ sequela mors. Vbi enim inuidia ingreditur, ibi nulla vitæ spes, sed certissime mors volat. Attende itaque tibi, si vbi inuidia ibi mors, non potes simul inuidere, & viuere. Fuge ergo ab inuidia, vt æternam animæ mortem declines.

Luc. 15. n. 35. At ipse dixit illi: *Fili, tu semper mecum es, & omnia mea tua sunt.*

Num. 22. Epulari autem, & gaudere

oportebat, quia frater tuus hic mortuus erat, & reuixit: perierat, & inuentus est.

VERSIONES.

Syriacus n. 31. Dixit ei pater ipsius: *Fili mi, in omni tempore tu mecum es*

Arabicum. *Quæ sunt mihi, sunt tibi.*

Syriac. n. 32. *Oblectari autem nos oportebat, & gaudere.*

Theophylact. *Lætari autem, & gaudere oportebat.*

Vatablus. *Perditus erat, & inuentus est.*

Arius. *Periens erat.*

EXPOSITIO XII.



VDITA filij senioris iniusta querimonia non mouetur pater ad iram, nec etiam proposito obsequio suo erga partem, nunquam mandatum tuum praterini, de superbia, falsitate, ac obmurmuratione eum pater arguit, ne ipsum exasperet, ac perturbet, vt notat D. Bonavent. sed piè illi blanditur, vt inuidiam fratris deponat, & à proteruita sua desistat, vt ad domum, ac conuiuium ingrediatur. *Fili. D. Chrysolomus serm. 4. O quid facit vis amoris: quamuis malo filio non esse nescit, non esse non potest pater: videt filium degenerasse animo: videt paterna pietatis, paterni generis nihil habere, & tamen nuncupat filium.* Bene videbat pater filium, ob tumorem, ac inuidiam sui degenerem, tamen vi amoris filium vocat, tanquam tali nomine dignum, quia si filius ob crimina indignum se comprobauerat, pater tamen sui dilectione semper vt patrem se exhibebat.

Tu semper mecum es. Permisit pater, quæ filius dixerat, quamuis vera non essent. D. Hieronymus epist. 146. *Non enim, ait, confirmauit vera esse, quæ filius dixerat.* Ac si dixisset Pater: *Esto vera sint, quæ dicis, nunquam mandatum tuum praterini, tamen in te, qui nunquam à me recessisti, non est tanta ratio gaudendi recenter, ac in isto filio meo, qui me deseruit, & modo reuersus est.* D. Augustinus lib. 2. quæst. Euangel. quæst. 33. *Non autem pater, ait, filium quasi mentientem redarguit, sed secum perseuerantiam eius approbans, ad perfectionem potioris, atque incundioris exultationis inuitat.* Pater filium laudat, vt quem inuidia perturbauerat præconium commendationis ad virtutem alliceret; laudibus extollit eius obsequia, affiduamque perseuerantiam, vt laude emolliat eum, quem zeli liuor deiecerat de mensa. Aduerte etiam, quod hic filius senior populum Israeliticum exprimebat, vt est communis Patrum interpretatio; & tamen ait illi parens, *tu semper mecum es.* Cum Israel sæpe à Deo per delicta sua recederet, tamen præter modò dicta accipe acumen Hieronymi cit. epist. *Mecum es lege, qua stringeris: mecum es, dum mihi & in captiuitatibus erudiris; mecum es, non quia præcepta mea compleueris, sed quod te longam regionem abire non passus sum.* Quando Israel recedebat à Deo, ærumnis, ac captiuitate premebatur; labores autem maxime erudiant regressum

191.

Bonauent.

Chrysol.

192.

Hieron.

August.

Sæpe laudibus adducitur homo ad virtutem.

Hieron.

Labores tra-
huit ad Deū.

193.

Euthym.
Ambros.

Pro fratri-
bus reconci-
liatis Deo
gratia agēda.
Hugo.

Labores ho-
mines reuo-
cant ad Deū.
Chrysol.
Hieron.

regressum ad Deum, ita vt qui sub laboribus veratus videatur in proximo, vt ad Deum reuertatur; dicitur ergo mecum es, vel legis obseruatione, vel via laboriosa, quæ ad me ducit, & trahit, in captiuitatibus erudiris, & te longam regionem abire non passus sum.

Epulari autem, & gaudere oportebat, te scilicet ex charitate fraterna cum tota mea familia, cum ad sic iustissima causa lætandi, ac exultandi. *Quis enim, ait Euthymius, cum mortuum viderit reuixisse, non lætatur.* Et D. Ambros. *Gaudere oportebat, ait, hoc est pro reconciliato offerre imperat gratissimum sacrificium, quod esset acceptum, & celo, & exercitiis Angelorum.* Pro reconciliatis fratribus Deo agenda sunt gratiæ, ac gratificationes. *Mortuus erat, & reuixit, iam supra est explicatum expositione 8. Perierat, ait Hugo per se ipsum.* Errauit sicut ouis, quæ perierit, & inuentus est. A me ipso, sicut ipse dixit in principio capituli: *Inueni ouem, quæ perierat.* Preme tamen verbum, *inuentus est, quod bis dictum est à patre, hic & supra n. 24.* Quod enim inuenitur, ab aliquo necesse est, vt inueniatur, sed quos ministros, quosve indagatores delegauit Parens, vt perditus filius reperiretur? Sine dubio ministri fuerunt calamitates egestatis, & famis, quæ filium ad genitorem reduxerunt. Chrysolomus serm. 2. *Fames reuocat, ait, quem satietas exularat, fames patrem illi dedit sapere, quem copia tulerat sentire genitorem.* Vnde ait D. Hieronymus in cap. 2. *Olee: Proidentia Dei sæpe nobis accidit mala, ne habeamus ea, quæ cupimus, & variis calamitatibus, & miserijs huius sæculi ad Dei seruitutem redire cogamur.*

QUESTIO XXV.

Quare cum pater duos habeat filios, si omnia sua promittit seniori, quid alter habebit?

194.

Si homo est cum Deo, omnia habet.

It pater seniori filio: *Tu mecum es semper, & omnia mea tua sunt.* Verborum connexio maxime ponderanda. *Tu mecum es.* Deinde, *omnia mea tua sunt.* Si primum habetur, vt homo cum patre sit, ab illiusque moribus non discedat, omnia quæ patris sunt, certo habebit. Quæstio tamen præsens est, quomodo cum pater habeat duos filios, si omnia bona sua adscribit seniori, quid referuatur alteri filio reuiuifcenti?

195.

August.

Cælestia bona ex eorum communicatione non minuantur.

Primo respondet D. Augustinus lib. 2. de quæstion. Euangelic. quæst. 33. *Quid sibi vult, ait, omnia mea tua sunt, quasi non sint, & fratris? Sed sic à perfectis, & immortalibus filijs habentur omnia, vt sint, & omnium singula, & omnia singulorum.* Pater iste Deus est, cuius regnum non minuitur, eo quod à pluribus habeatur; sic Dei filij, ac immortales spiritus gratiæ, ac beatitudinis donis fruuntur, vt possit Deus verè dicere cuiilibet: *Omnia mea tua sunt,* sic gratia, beatitudo, ac felicitas cuiilibet communicatur, vt quilibet totum videatur habere; tum quia sic beati se charitate diligunt, vt cæterorum prosperitatem, quilibet suam reputet; tum quia ita quilibet suis donis est satius, vt videatur omnia habere: omnibusque bonis abundare. Vide supra cap. 2. num. 126. 127. 128.

Sylueira in Euang. Tom. IV.

Secundò iterum ea verba Augustini ad communionem sacræ Eucharistiæ accommoda. *Sic à perfectis, & immortalibus filijs habentur omnia, vt sint & omnium singula, & omnia singulorum.* Quomodo ait pater seniori filio: *Omnia mea tua sunt?* Cum filio iuniori datus sit ille vitulus tenerrimus, & optimus, in quo omnia bona cælestia, ac terrestria continebantur. Vitulus ille saginatus, Christus Dominus in Eucharistia, vt superius ex communi Patrum sententia dixi. Sic autem ille vitulus saginatus totus dabatur filio iuniori, vt etiam totus daretur seniori, si verè ex toto corde ipse pœniteret, vt decebat, sic totum omnibus, quod totum singulis. Vide supra cap. 2. num. 22.

Tertiò. Gillibert. serm. 33. in Cantic. *Vide profanam Domini Iesu gratiam: cum pœnitente filio gaudere eum oportet, & epulari. Quibus propitiatur impropere nescit: dimidia vi non nouit clementia.* Ecce superabundans Christi gratia, ait, quod gaudere oportet cum pœnitente, sic cum eius conuersione lætatur, tanquam cum re valde sibi magna, grata, ac iucunda. Ad nostram quæstionem. *Dimidia vi non nouit clementia.* Senior filius hædum tantum desiderauerat. *Nunquam dedisti mihi hædum.* Iste pater non hædum offert, sed vniuersa sua, *omnia mea tua sunt;* nec in hoc alterum filium defraudari patitur. Tanta est Domini superabundans gratia, quod nescit parua, ac dimidiata dona dare, sed ita cuiilibet dat suum donum, vt illi omnia integra, ac plena largiatur. Vide supra cap. 3. num. 34. 35. & 36. & cap. 14. n. 33. 34. & cap. 18. n. 35.

Quartò. D. Chrysolomus serm. 4. *Omnia mea tua sunt, ait, hoc est dicere: Patere illum redisse patri: permittit patri filium suscepisse: nec ille aliud, quam patrem quesuit, qui ueniens non filij, sed loco mercenarij voluit collocari, sint tibi omnia, illi sufficit pater.* Duos genitos habet filios, seniori tamen ait, *omnia mea tua sunt.* Quid ergo filio rediuuio, ac pœnitenti referuatur, cum ipse pœnitentia sua multum promeretur? Filius rediuuius cum esset contritione, ac charitate feruidus reditu suo non bona patris, sed solum patrem requirebat, tantaque dilectione ferebatur in patrem, vt libenter omnibus cederet, dummodo patrem haberet, ipsoque solo super omnia bona contentus erat. *Sint tibi omnia, illi sufficit pater.*

Suis discipulis scribit Ioan. 1. epist. cap. 2. n. 15. *Nolite diligere mundum, nec ea, quæ in mundo sunt, si quis diligit mundum, non est charitas patris in eo.* Ex quo pulchrè admonet D. Augustinus ibi: *Fuge creaturas, si vis habere creatorem, omnis creatura vilescat, vt creator in corde dulcescat.* Charitas Dei diffusa in cordibus nostris, non secum patitur sæculi amorem, sed eum à se mutuo excludit, ac reiicit.

De suo dilecto dicebat anima sancta. Tenui eum, nec dimittam, Cantic. 3. num. 4. Aliter verò Iacob dicebat ad Deum: *Non dimittam te, nisi benedixeris mihi,* Genes. 32. num. 26. Cur Iacob accepta benedictione ipsum vult dimittere, illa verò nullum de benedictione facit verbum, nullumque pactum interponit, sed absolutè ait, *nec dimittam.* Iacob quamuis iustus Dei benedictionem quærebat, ipsaque tantum contentus erat. At anima sancta in excellentiori perfectionis apice constituta, non benedictionem, sed dilectum suum quærebat, ipsamque inuentum nullo pacto interueniente dimittere determinat. D. Bernard. serm. 29. in Cantic. *Tenui eum, ait, nec dimittam.*

196.
August.

In Eucharistia quilibet totum communicat.

197.
Gillibert.

Deum non dat dimidium.

198.
Chrysol.

Verè diligens non dona, sed Deū quarit.

199.
1. Ioan. 2.
Charitas Dei non patitur, vt alius diligatur.

August.

200.
Cant. 3.
Genes. 32.
Verus amor non tua, sed te quarit.

Bernard.